

Tabularum, prout eæ in mea hac Editione referuntur stri-  
ctim prosequar, illud monendo quotiescunque hic motum  
Solis dixerò, intelligendum esse motum Telluris, Solis  
autem solum in sensu vulgi.

Tabula I. Quæ Æquationem temporis compositam  
complectitur, juxta antiquiorem Solis Theoriam, in qua  
& linea Apfidum, seu locus Apogæi Solis, & Eclipticæ  
obliquitas fixa, atque immutabilis ponebatur, composita  
est; hæc Tabula, ut ad cæteras Tabulas D. De la Caille  
haud necessaria est, ita à Caillio reducta solum est ad  
principium Anni 1750. qua uti liceret ad annum usque  
1800 errore solum excrecente maximo ad 7'' 3. temporis;  
cæterum facilis est constructio Tabulæ alterius cujusdam  
per quam hæc corrigatur, error enim hujus Tabulæ se-  
quitur proxime rationem sinus Anomalix, aut præcisius  
æquationem Centri  $\odot$ , sed post annum 1750. signi  
contrarii.

Tabula II. Complectitur Epochas motuum medio-  
rum Solis, & quatuor Argumentorum. Longitudo me-  
dia Solis pro cujusvis anni principio posita includit etiam  
aberrationem à lucis successiva propagatione ortam, quam  
*Caillius* 20'' supposuit; supponit etiam *Caillius* revolutio-  
nem annuam tropicam 365. dierum 5. h. 48'. 49''. Epo-  
cha *Caillii* pro Anno 1700. differt ab Epochâ D. *Cassini* +  
1''. 6, & 1 $\frac{1}{2}$ . decima fere est incrementum annuum harum  
Epocharum præ Cassinianis, ita ut Epochâ *Caillii* Anni  
1800. differat à Cassiniana per + 15''.

Majorem correctionem *Caillius* fecit in Epochâ loci  
Apogæi Solis, quam pro Anno 1700. fixit in 3. sig. 7°. 43'. 29''.  
auxitque 7'. 34''. qua quantitate Cassiniana minor  
est; motum annuum eidem tribuit *Caillius* 1'. 5''. 5. *Cassinus*  
solum 1'. 2''. unde motus sæcularis *Caillii* evadit major  
Cassiniano 5'. 50''. Ab hac Epochâ pendet præcisior æqua-  
tionis centri correctio, de qua inferius.

Epocha Argumenti I seu Præcessionis Æquinoctiorum  
est ipse motus medius nodi lunæ, ipsum vero argumentum,  
est loci nodi ascendentis supplementum ad 12. signa.